

Gr. c B. 53

Alteu. Sammelbd!

Philosoph. Teil
B. 47.

W 24

AD
AUDIENDAS ORA-
TIONES,

QUÆ
IN SCHOLA ASCANIENSI

DIE 17. OCTOBR. MDCCLXXV. HORIS POMERIDIANIS

PUBLICÈ RECITABUNTUR,

OBSERVANTISSIME ET HUMANISSIME

INVITAT,

DE

MAJORI INTELLIGENDI SCRIBENDIQUE
QUAM LOQUENDI LATINE NECESSITATE,

PAUCA PRÆFATUS

CHRISTOPH. FRIDER. SANGERHAUSEN.

HALBERSTADII,

EX TYPOGRAPHIA DELIANA.

AD
AUDIENDAS ORA-
TIONES

QUI

IN SCHOLA ASCANENSIS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN DIEBUS

OFFICII PASTORIS

SCRIPTA

ET

IMPRIMATUR


IN ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN DIEBUS

OFFICII PASTORIS

SCRIPTA

EX OFFICINA



Seleo sæpe oblectandi animi causa reputare mecum, quid, si ingeniorum nostrorum monumenta perlustrare operæ pretium putaverit, de seculi nostri literis judicatura videatur posteritas. Quod cogitans, non dubito, fore, ut, cum, quot de regendo linguæ latinæ studio adjuvandoque prolata sunt per hos annos consilia, cognoverit, idem fuisse seculo nostro putet studium, literas autem latinas per tot seculorum decursum tantum non intermortuas felicissime revixisse. Eadem rursus, quando eruditorum scriptiunculas eorum, qui hoc tali tempore latina uti lingua persona sua indignum non putant, examinauerit, ad barbarici fere injuriam deformes, non poterit non ju-



dicare, parum sibi constitisse seculum nostrum. Scilicet suadere meliora parum est, nisi eadem effici posse comprobés experimento. Qui enim experientiam expectare debebant, prævertunt eandem plerique, valde sibi philosophi, quando relicta natura, quam tamen vocem unice jaçant, nugæ aut etiam sensus suos adferre in medium, & ex natura sua fingere alios didicerint. Ita fit, ut in ridiculam abeat philosophia hariolationem. Præterea innovandi cœthes tenet plurimos, sive quod inveniendis rebus natos Teutones probavit sæpe eventus, sive quod exhausta fere omnium disciplinarum materia ista ad gloriam via videri possit compendiaria. Quicquid id demum sit, hujus ego profecto laudis cupidus non sum ita, ut ineptire operæ putem pretium. Quanquam multa ætate nostra in re præsertim sacra & scholastica in melius mutata lubentissime agnoscimus. Quis enim non amet sedulitatem eam quæ in commune prodesse studet? Sed relictis hisce, quid in linguæ latinæ studio profectum hæctenus sit, id si quis quærat, vix habemus quod respondeamus. Linguam autem ipsam in dies magis magisque exolescere, vel tacentibus nobis, intelliget rerum, ut nunc sunt, quisque non ignarissimus. Quod mirum videri potest nemini, qui & quales per hoc tempus extiterint latinitatis studii regendi principes, recordanti. Quotus enim quisque eorum, cujus addiscendæ regulas tradidit, linguam caluit ita, ut non dicam commode eadem uti, (esset enim postulatio magna quanquam justa) sed ultra grammaticen paulo sapere possit. Istis novæ quasi formulæ adstringere literas latinas nullius videtur negotii, certe non majoris, quam immutatis instrumentis de agrorum apumve



apumve cultura bene mereri. Quo etiam fit, ut aut pridianos apponant cibos, aut cum nova tantum salivam movere sciant, insolita adferant, quæ palatum appetit, natura rejicit. Recte quidem in nonum premi annum carmina vult Horatius. Qui mos cui magis commendandus quam innovatorum vulgo? aut quo magis tempore, quam hoc tali nostro? Ultimum genus est eorum, qui, quod muneris ratio postulare videtur, in eodem hærent argumento, satis sibi beati, si symbolam contulisse nec immunes tot scriptorum epulis interfuisse videantur. Quæ omnia ordine repetere longum foret, examinare autem inutile, cum utilia & inutilia, nullo monente, probet aut rejiciat usus. Uni tantum rei immorabimur. Nimirum quantum ego judicare possum, quæ protulit ætas nostra consilia fere omnia non tam pertinent ad linguæ latinæ perfectionem, quam ejusdem addiscendæ facilitatem. Qua commendatione si quis, relictis aliis & quidem justioribus, utendum putet unice, is profecto errat. Primum enim fit, ut bene discatur, alterum ut facile, si fieri potest. Imbecilli enim est animi facilitatis duci specie, elati contra ea solet esse virtus, ut difficultatis cogitatione non tam deterreatur aut retardetur, quam incendatur aut adjuvetur, in morem fere torrentis, qui a molibus oppositis vires sumit, & impetu plerumque fertur violentiori. Atque ista animi generosi indoles tantum abest ut infirmari aut tolli, ut potius omni debeat modo foveri, imò augeri. Quam qui sublatam cupiunt, non possunt iidem non effœminatæ fieri mollitiei auctores, qua quid esse potest in omni vita turpius aut



nocentius? Præterea parum esse videtur e dignitate linguæ latinæ, si præter facilitatis spem nihil magnopere habeat quo allicere possit. O conditionem ejus profecto indignissimam, si in morem matronæ, cui abstulere anni Veneres, reliquere lenocinia, ad meretricias descendere artes, & quos sua olim pulchritudine alliceret teneretque eorum nunc amorem eblandiri cogatur eo, quod ultro se offerat ac exponat atque nullo se negotio expugnari posse adfirmet. At brevi præcīdam. Tenendum nimirum est, facilitatem addiscendæ linguæ latinæ, si modo recte obtineri possit, omnino non esse spernendam, sed ita, ut utilitatem ejusdem pulchritudinemque facilitatis studio non temere putemus remittendam.

Alterum in quo peccari video a rei scholasticæ emendatoribus est, quod omnia fere comparata esse volunt ad usum loquendi. Cum enim innumeris undique circumseptam viderent difficultatibus facultatem loquendi ita, ut vix sexcentesimo cuique ad eandem pervenire liceret, commodiorem qua id adsequi possent, tentarunt viam. Et quæso quam? aut qualem? Nempe a teneris inde annis tradi volunt pueros magistro, a quo linguam latinam non per præcepta doceantur, sed per sermones, ita ut nihil aliud quam confabulentur. Tali modo putant fore, non ut interjectis solum paucis annis adsueant sermoni, eodem fere modo, quo solent patrio, aut etiam Francico, sed post id etiam tempus uno ad summum duobus mensibus grammaticen in potestatem redigere suam, & scriptores latinos cum utili-
tate



tate adire possint certissima. Id autem consilium uti altera ex parte, id quod gratulamur seculo nostro omni luxuriei genere diffu-
enti, retinendæ latinitatis agnoscit necessitatem, ita altera ex parte val-
de videtur anceps lubricumque. Qua de re nostram breviter dice-
mus sententiam, quæ qualis sit, penes alios eosque acutiores esto
judicium. Totam autem hanc scriptiunculam in duas describemus
partes, quarum altera majorem esse intelligendi scribendique quam
loquendi latine necessitatem probabit, altera autem difficultates quas-
dam adferet, quibus istud de discenda per sermones lingua latina, con-
siliium laborare videtur.

Cum omnis linguarum usus tribus potissimum contineatur re-
bus, nimirum ut intelligere easdem & scribere & sermonibus usur-
pare possis, quæstio existit non inutilis, quæ potior sit commo-
ditatis pars, reliquisque, si obtineri simul nequeant, præferenda. Quo
loco non in universum pronounciari debere, sed pro diversitate lin-
guarum & nationum, facile est intellectu. Spectanda autem in ju-
dicando maxime est utilitas. Quam sequentes, dispiciamus, quæ &
quanta sint, quæ a lingua latina expectare recte possimus. Cum
omni humanitatis laude præ cæteris floruisse constat nationem roma-
nam, disciplinas autem plerasque excultas habuisse ac perfectas adeo,
ut nullæ magnopere iisdem fieri possent accessiones, equis neget ma-
gnam monumentis ejusdem ætatis contineri rerum omnium quæ disci
possunt ac debent, segetem? Quod præsertim valet de re historica
rhetorica, poëtica, philosophica, politica, militarique, in quibus o-
stendere



stendere se potest nemo, nisi qui latinis uti literis didicit. Alia ac
 nescio annon major utilitas cernitur in eo ut juveniles iisdem animi
 sine sensu excolantur, perpolianturque. Habent enim literæ istæ
 inspirandorum sensuum magnificorum, formandorumque ad honestatem
 animorum artificium prorsus incredibile. Quibus sensibus innutri-
 tum pectus atque imbutum non potest non eosdem imitando expri-
 mere & in omni vita præ se ferre. Porro fieri non potest, quin,
 quos imbibit, proferat sensus, & in scribendo dicendoque sequatur
 gravitatem illam antiquam cum varietate conjunctam sublimitatemque
 facilitate temperatam. Quod judicans, non magnam me apud non-
 nullos seculi nostri iudices initurum video gratiam, qui immodico
 atque inaudito post Taciti tempora correpti amore patriæ, sinceram
 esse volunt gentem Teutonicam, similemque sibi, nec ullo antiqua-
 rum literarum commercio corruptam. Quare ad solum linguæ lati-
 næ nomen pallent, aut toto fere corpore contremiscunt, ac idem
 fere patiuntur, quod solebant olim doctores umbratiles, qui audito
 verbo Teutonico pæne enecarentur. Cur enim inquirunt, exscri-
 bendus Horatius, cum habeas Klopstokium? Quibus ut respondeam,
 cur exscribendus Klopstokius, cum habeas Horatium? Aut cur a mer-
 catoribus nostris emendæ merces, quas, ubi nascuntur, emere possis
 salubrius? Nam quod in iis, quæ latine scribuntur, imitationi tan-
 tum locum esse, non item inventioni contendunt, id ejusmodi est,
 ut nihil quod probabile sit, attulisse videantur. Etsi enim nihil in
 lingua inmutari aut eidem temere addi potest, id tamen non impe-
 dit,



dit, quo minus novis rerum imaginibus possit accommodari, si in potestate eam prorsus habeas, ingenioque valeas. Namque inveniendi vis aut ad verba potissimum pertinet, aut vero ad res. Si illud est, quis non videt in vernacula, utpote satis perfecta, angustissimis eam quoque contineri finibus. Hoc contra si est, patet omnibus linguis paulo cultioribus, communem esse istam opportunitatem. Quare illud: poëtam in patrio tantum excellere posse sermone, cum natura ipsa tum virorum clarissimorum auctoritatibus atque exemplis facile potest refelli. Deinde si, ut institutis nostris agrisque ita etiam ingeniis nostris vivendum est, age, removeantur, quæ ab aliis gentibus quasi adventitia possidentur, interdicitur mercatura, redeatur ad agros & silvas. Quid cessatis? Scilicet ægrius caremus iis, quæ amittenda sunt, quam quæ nunquam habuimus. Quidni igitur rerum bonarum ferre potius discimus abundantiam quam aspernari. Et quæ unquam fuit natio omni admixtione adeo libera, ut nihil haberet aliunde adpersum arcessitumque? Aut cujus esset dementiæ literarum campum per exiguo triginta circiter annorum, ex quo natio nostra efflorescere cœpit, spatio velle inclusum, famam contra ingenii nullis cupere limitibus circumscriptam? Possent aliquis jure suo vereri, ne si plures existant proscribendæ latinitatis suasores, juvenes nostri, id quod passim fit, correpti fastidio, spretoque veterum auctorum studio, aufugiant in Academiam. Quod tamen ego eventurum non putem, si eorum, ubi ad scribendum aut dicendum perventum erat, perspexerint futilitatem



rem infantiamque, quæ profecto tanta esse solet, ut omnia fracta ac nervis destituta videantur. Idem rursus si virorum iustioris laudis, quos ætas nostra quanquam pauciores, tulit tamen, examinare volent scripta, invenient, id quod supra diximus, inter alia literarum latinarum studio effecisse eos ut tanti existerent.

Neque ea tantum legi volunt, quæ a romanis ad nostra pervenere tempora, sed ea etiam, quæ in omni disciplinarum genere, retenta romanorum lingua tradidit recentior ætas. Quid dicam de institutione academica quæ multis in locis eandem retinuit? Quid denique de usu scribendi. Incidunt nempe tempora, ubi in scribendo utendum est lingua latina, sive quod rebus tradendis aptior eadem est, eruditorumque consuetudo postulare videtur, sive quod eruditionis facultatisque istius dandum simul est documentum. Id ut adsequaris, fatis non est ut vocibus latinis ad regulas grammaticas inclinatis utaris, sed exprimenda est nativa illa, & ex sensu magis quam præceptis judicanda linguæ indoles. Atque hæc sunt potiora utilitatis loca, de quibus, quod ab aliis sapius copiosiusque factum video, plura non dicam.

Veniamus nunc ad sermonis utilitatem, quæ non æque late fusa est. Quod quo facilius intelligatur, percenseamus loca pleraque, quæ loquendi facultatem desiderant. Olim in ludis publicis tradi omnia latine eruditorum volebat superstitio. A qua ut a mul-
tis



his aliis recessit ætas nostra, sequuta, opinor, rationes non spernendas. Primum enim non omnia quæ traduntur promiscue latinæ admittunt dictionis castitatem, aut si veliri etiam commode possunt, a plerisque non recte capiuntur aut denique retardant discendum diligentiam. Quare varias ea res habet cautiones, quæ si observentur, tum quidem retineri hanc consuetudinem prudenter malim, quam deferri temere aut abjici. Alter locus est in Academiis, ubi lingua latina inservit iis, qui disciplinas profitentur publice, aut discendo quid in re quaque veri falsive insit experiuntur. Tertius est in lustrationibus candidatorum antequam publicos capeffunt honores. Quartus denique est, ut in peregrinationibus eruditorum exterorum uti possis consuetudine.

Quæ omnia si consideremus, patet, primum sermonis latini necessitatem pertinere ad paucissimos, deinde non esse tantam, ut evitari nullo modo possit. Quotus enim quisque Fortunam habet fautricem ita ut in Academiis Professoris munere fungi, aut disputationem inire, aut iter ad externos facere possit. Præterea ut in ludis minoribus ita etiam in Academiis passim obmutuit lingua latina. Idem fere valet de examinibus publicis cum multis in locis sermo patrius latini esse cœpit vicarius, & nescio annon merito. Quid enim exquirendum potius, utrum latinarum literarum peritus sit Candidatus? An vero muneri, quod petit idoneus? Quare sic ego mihi persuadeo, si muneri videatur satisfacturus, ob linguæ imperitiam



ritiam temere rejectum iri neminem, præsertim cum non quomodo sed quid responderit videri soleat. Habenda igitur linguæ latinæ egregia scilicet esset gratia, quæ quidem efficeret, ut post multos annos ipsi impensos per horæ spatium balbutire possimus, & impetrare id, quod sine ipsius ope non minus eramus adsequuturi. Quæ una mercede si tot labores diurnos nocturnosque consolari satis potest, quis non prædicet eam felicissimam? Aut potius quis non exclamet: Non fuisse tanti!

Quare si id tantum agitur, ut alia atque vernacula quibusdam temporibus uti possis, eccur non Francico id tribuendum putemus sermoni, qui quod in vita vigere communi & ad honestatem adeo cœpit pertinere, non facilius solum & rectius disci, sed in omni etiam vita retineri, multisque rebus v. g. negotiis peregre gerendis inservire potest. Aut si nihil interest, bene, male, modo loquaris, cur romana potius utimur dialecto, quam Polonica Rutenica & quavis alia? Fuit tempus & nimium diu fuit, quo latinus omnia pervagaretur sermo, habitaret in templis, regnaret in aula, versaretur in curia, cum interea dominaretur barbaries, jacerent literæ bonæ. Quas qui ab inferis quasi excitabant, non tam loquendo id adsequebantur, quam commendando veteres scriptores, interpretando imitandoque. Quod argumento esse potest, usum loquendi cum literis ipsis conjunctum non esse necessario, ita ut sejungi ab hisdem nequeat.

Sed



Sed contrahamus rem partesque inter se componamus pugnan-
tes quo magis appareat quid in iudicando sequi nos oporteat. Est
igitur facultas intelligendi scribendique cum utilitate conjuncta multi-
plici, loquendi contra aut cum nulla aut valde exigua. Illa rebus
optimis animos instruit, hæc inanes eosdem relinquit. Illa gravi-
tatem in agendo scribendoque docet, hæc futilem vanitatem. Illa
prodest semper, nocet nunquam, hæc nocet sæpe, prodest raro.
Illa omnium est temporum hominum ac locorum, hæc paucissimo-
rum. Illa usum habet perpetuum, hæc brevissimum. Illa con-
juncta est cum rerum optimarum intelligentia, hæc sejuncta, postre-
mo illa ab erudito ne cogitatione quidem potest separari, hæc &
cogitatione & re ipsa abesse.

Supereft, ut, quod supra diximus, discendæ per sermones
linguæ latinæ consilium paulo penitus inspiciamus. Quod quoniam
duplex est, alterum nempe eorum qui mutuis omnia agi volunt con-
fabulationibus in morem fere magistrorum Francicorum, alterum eo-
rum, qui tabulæ subsidio uti satius putant, cui inscribi quotidie ver-
ficulos latinos, deinde legi, post addita versione explicari tandem
edisci volunt, nostrum etiam bipartiamur iudicium. Atque in illo
eum difficilia multa tum hoc videtur difficillimum, nancisci nempe ju-
stam magistrorum copiam. At poterunt certe institutione formari.
Quasi vero hoc nullius sit temporis aut negotii? Esto autem opinio-
ne facilius id fieri posse, neque tum omnis confecta res est. Nam
id, quod fieri necesse est, ad præceptorum magis quam scripto-
rum



rum auctoritatem se component adolescentuli. Quæ res est periculi plenissima. Deinde si quid cepit dictionis puritas detrimenti vix poterit in vita futura elui aut emendari. Tanta solet esse consuetudinis vis. Neque id a grammatices auctorumque classicorum usu expectari recte potest, quem in adultioris ætatis tempus volunt reje-ctum. Tanta enim ejusdem solet esse levitas, ut ante tempus plerumque sapere sibi videatur. Quo minus adduci se patietur, ut, quando dictionis non cogit inopia, ad auctores veteres atque tricas adeo grammaticas reverti turpe non putet. Quo fiet ut præter loquendi facilitatem nihil magnopere adsequatur, quæ quantum valeat, supra demonstravimus.

Neque alterum difficultatibus caret consilium. Quod enim institutioni grammaticæ, a qua olim initium fieri solebat, exprobrant, nempe in modum machinarum pueros nihil ingenio, sed memoria omnia agere, atque ita incassum laborare cogi, id nescio an non in eam, de qua sermo est, melius conveniat methodum. Cogitanti præterea innumeros modos quibus voces flecti solent, terminari-ve, occurret, si ex versiculis discendi sint, tantum profecto huic rei esse impendendum temporis, ut alia quacun-que via idem se adsequaturum sperare possit. Quæ cum ita sint, quis non Gesneri aliorumque, qui ejusdem sequuti sunt auctoritatem, probet consilium, quod eo redit ut præmissis vocum inclinationibus, memoriæque traditis, statim ad lectionem adducantur pueri, habito tamen delectu,

ei autem lectioni sensim sensimque regulæ accommodentur grammaticæ, investigandæ illæ quidem, si fieri potest, a discipulis atque ita ad linguæ perveniatur perfectionem. Quod consilium uti plurima continet utilitatis genera, ita minimis premitur difficultatibus.

Sed veniamus ad id, cujus causa hæc scripta sunt. Indicendæ nimirum a nobis sunt orationes, quæ, dic, in fronte hujus descriptionis notato, habebuntur a juventute nostra scholastica. Solemnitatem istam præsentia sua amplissima ornare ac augere benignissime ut velint Patroni Fautoresque Generosissimi plurimumque Reverendi, & quotquot literis bene cupiunt, qua fas est, pietate rogamus obtestamurque. Qui, quo frequentiores benevolentioresque adesse voluerint, hoc majori nos adfectos putabimus beneficio. Scripsi Alcaniæ, die /// Oâobr. MDCCLXXV.

Liste

der Redner.

- J. S. Pflaume, aus Ascherleben, handelt von der zu hohen Meynung von dem Patriotismus der Römer.
 A. H. Schüz, aus Döberstedt im Mansfeldischen, sagt eine Romanze her.
 J. C. C. Ramdohr, aus Ascherleben, eine poetische Schilderung.
 J. G. Kollmann, aus Ascherleben, ein Gedicht auf GOTT.
 C. G. Goering, aus Acken, eine Fabel über Gellers Monument.
 J. C. J. Pellmann, aus der Mittelmark, C. L. Chemnitz, aus Rochstädt, und
 J. C. Wieser, eben daher, erzählen eine Geschichte vom Glück und Unglück.

J. D.



- J. D. Burdhard, aus Mfchersleben, die Geschichte der Vernunft.
 P. C. V. S. Schulze, aus Eönnern, erzählt ein Beyspiel der Wohlthätigkeit.
 G. S. Rosentreter, J. G. Biering und C. G. Rosentreter, aus Mfchersleben, kleine moralische Stücke.
 J. D. Beyse, aus Mfchersleben, zeigt den unersetzlichen Schaden einer übel angewandten Jugend.
 J. A. Breslau, aus dem Saalkreise, sagt eine Fabel her.
 J. M. Peters, aus Mfchersleben, schildert den Abend.
 J. D. Hartmann, aus Mfchersleben, und C. S. Schiele, aus Meinstädt, halten ein philosophisches Gespräch über die Hypothese des Hrn. Helvetius, über die Gleichheit der Seelen.
 A. J. Schulze, aus Eönnern, J. C. Wendenburg und J. H. Otto, aus Mfchersleben, recitiren moralische Erzählungen und Fabeln, eben so auch
 J. D.)
 J. S.) Wenzel, aus Mfchersleben.
 C. H. G.)
 S. C. Kolof, aus Mfchersleben, tritt mit einer profaischen Erzählung, und
 J. C. C. Tuckermann, aus Unzeburg, mit einer Romanze auf.
 G. J. C. und D. J. Temme, aus Mfchersleben, so wie W. Köbler, aus Mähringen, D. T. Rosentreter und G. Schüs, aus Mfchersleben, wechseln mit verschiedenen poetischen Aufsätzen ab.
 A. B. Seyfarth, aus Mfchersleben, sagt eine comische Erzählung, und
 C. Bertram, aus Mfchersleben, eine Fabel her.
 J. S. H. Temme, aus Mfchersleben, handelt von den Vorzügen der Jugend.
 W. Fischer, aus Mfchersleben, verthendiget die Reigung, Böses von andern zu reden.

Zu gütlicher Anhörung dieser Reden, welche Morgen Nachmittags in hiesiger Schule gehalten werden, laden wir unsere gnädigen und Hochzuverehrenden Gönner und alle Freunde unserer Schule gehorsamst ein. Ihre zahlreiche Gegenwart wird uns Belohnung und Aufmunterung seyn. Mfchersleben, den 3. Octob. 1775.



00 A 6277 (1/40) ✓

ULB Halle 3
002 837 331



TA-OL

v. p. 18

Revo ✓





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

AD
DAS ORA-
ONES,

QUÆ
A ASCANIENSI

MDCLXXV. MORIS POMERIDIANIS

RECITABUNTUR,
E ET HUMANISSIME
NVITAT,

DE
GENDI SCRIBENDIQUE
I LATINE NECESSITATE,
A PRÆFATUS
DER. SANGERHAUSEN.

BERSTADII,
RAPHIA DELIANA.

Farbkarte #13

Centimetres